Ale lau. Soc. Jesu ca. inser. C. B. S.

4

GRATVLATIO, SERENISSIMO AC REVERENDISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO PHILIPPO Epiſcopo Ratisbonenſi, Comiti Palatino Rheni, &c. vtriuſque Bauariæ Duci, cùm à CLEMENTE VIII. Pont. Max. Anno ſalutis M. D. XCVI. die XVIII. Decembris in ampliſſimum Cardinalium Collegium cooptatus eſſet:

Scripta

SVMMÆ OBSERVANTIÆ ET DEBITI OFFICII ERGO A Collegio Societatis IESV ad D. Pauli Ratisbonæ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INGOLSTADII,

Ex Officina Typographica WOLFGANGI EDERI.

ANNO M. D. XCVII.

Digitized by Google



AD INSIGNIA SERENISSIMI
PHILIPPI CARDINALIS.

DVX, CARDINALIS, EPISCOPVS,
VINCIT, REFVLGET, AC DOCET,
LEONE, PVRPVRA, MITRA.

Digitized by Google

COLLEGIVM RATISBONENSE SOCIETATIS IESV:

AD

SERENISSIMVM ET REVEREND. PRINCIPEM AC DOMINVM, DOMINVM PHILIPPVM, S. R. E. Cardinalem, Epiſcopum Ratisbonenſem, vtriuſq; Bauariæ Ducem, &c.

MARMORA ſi poſſem viuis animare figuris,
Inter ſpirantes facili remeare colores
Si poſſem dextra, & victuras pollice ceras
Cogere vt artificem digitum ſequerentur & ignem,
Si mihi in æra potens Lyſippi nutus & aurum,
Marmora viua, color, cera, æra, PHILIPPE, vel aurum
Suſpicerentur vbique tuum oſtentantia vultum,
Atque tuos legeres titulos, & præmia laudum,
Te ſolo viſo: nec enim monumenta tuarum
Addere opùs laudum, qui fronte encomia præfers.
Sed quia nil ſupereſt nobis, niſi grata voluntas,
Hæc ſaltem placeat, tibi ſic effuſa placendi
Iam deſiderio; quæ ſe ſe munere gratam
Vel quocunque poteſt tibi dudum ſiſtere geſtit.
Si tamen æqua tuis meritis nunc munera poſcis, Ipſe

Digitized by Google

Ipſe neceſſe canas te ſolus; carmina ſolus
Ipſe tibi ſcribes proprijs virtutibus æqua,
Æquiparas qui facta ſonis, & laudibus acta.
Certa ſalus patriȩ, quò te vocat ardua virtus,
Huc ego tendentem plauſu iam proſequor, optans
Te tibi digna, tuȩ virtuti debita; maius
Ampliùs haud quicquam video ſupereſſe quod optem.
Et ſi, quod petimus, vitam virtutibus æquet
Vitæ auctor, fuerit tibi vita, PHILIPPE, perennis:
Tu modò qui meritis totum complecteris orbem,
Me quoque vel nutu defendere perge potenti.
Tranquillæque faces oculis, & plurima vultu
Maieſtas nobis affulgeat vſque benigna:
Atque meæ ſidus trepidæ ſis dulce carinæ,
Quæ paſſim varijs hinc tunditur inde procellis,
Cùm redeunt & eunt terrarum crimina tutis
Velis, & miſeros patefactum eſt æquor in vſus,
Longè alios vſus, quàm opibus cùm nauis onuſta
Tuta triumphabat Petri, ſecuraque portus.

IDEM AD EVNDEM SERENISS. PRINCIPEM.

ACcIPE Boiariȩ magno ſate Principe Princeps,
Quæ vates luſêre mei: virtutibus illa
Sunt equidem non æqua tuis; nec magna Galero
Quæſita à noſtris accedet gloria Muſis.
Mæonias reſonare tubas, Andinaque vellem
Cornua; & Aõnias vnâ cantare ſorores.
Sed mihi duntaxat votum; mihi virgula non eſt
Hermes terrifico quâ Manes euocat Orco.
Nec poſſum Samias vſquam deprendere mentes,
Aut reperire tuos in viuis Mantua Vates.
Hæc tamen aſpectus faciet maiora ſerenus
Principis, atque animi potius mens arbitra noſtri,
Menſque Philippéos non deſpectura clientes.

Digitized by Google

ROMA AD SERENISSI-MVM ET REVERENDISSIMVM PHILIPPVM S.R.E. CARDINALEM RECENS INAVGVRATVM, ANTISTITEM RATIS-bonenſem, vtriuſque Bauariæ Ducem, &c.

AVGVSTAS aquilas formidandosq; draconas
Agminis Auſonij ductor cùm ferret in hoſtem,
Et criſpare haſtas, Martemq; ciere pararet;
Expoſuêre priùs belli Prætoria ſignum,
Puniceam celſa præfixam cuſpide veſtem.
Dein cecinere tubæ: mox dira furebat Erynnis,
Saxaq; cum fremitu tormentis acta ſonabant.
Armorum clangor cœlum, clamorq; virorum
Pulſabat, donec Romanus terga videret
Barbara, quæ turpem per deuia & auia cædem
Vitabant ſe ſeq; in ſaltibus occultabant.
O quod nunc belli ſignum, quæ purpura fulget?

Magne PHILIPPE, *tuum poſtquam mea lumina vultum*
Oraq́ſpectarunt, concepi mente Camillos,
Scipiadasq́ ambos, & nomina maxima Regum,
Impoſuere meis qui ſeptem collibus arces,
Optauiq́ Ducem bello, qui cornua Lunæ,
Lunatasq́ acies inuictis frangeret armis,
Donaq́ purpureã chlamydem galeamq́ parabam.
Aſt vbi conſpexi veſtitos ſyrmate talos,
Promiſſamq́ togam meliores indolis artes
Mente latere rata, imperiũ tibi ſanctius optans
Deſpondi diadema nouum rutilamq́ tiaram.
Hinc magnum Patremq́ orbis, ſanctumq́ ſenatum
Curia læta capit, iuuenemq́ exponere coram
Atq́ venire iubet, venit hic impletq́ ſtupore
Concilium procerum, quos inter ſideris inſtar
Cum caput æquoreis extollit Lucifer vndis,
Fulgebat iuuenile decus Ducis alta propago
Boiarici; poſtquam Latio mandata parentis
Eloquio prompſit, Tullÿ ſacer ordo nepotem
Iuraſſet, Boia niſi regia nomina noſſet,
Nomina magnanimûm referentia ſigna leonum.
Reddere nam Romam Romæ, Latiumq́ Latinis
Orator viſus. tanta olli copia fandi,

Quando

Quando tuos fleuit triſtes Germania caſus,
Diſcordesq́ animos gentis, Regumq́, Ducumq́,
Et ſciſſum populi ſtudia in contraria vulgus
Supplicijs orans auguſto à numine pacem.
Hinc amor in iuuenem noſter decora alta merentem:
Hinc deſponſus honor, quem nunc tibi, magne PHILIPPE,
Maximus humani generis cuſtosq́ paterq́
Defert, purpureoq́ tuam diademate frontem
Inſignit, Tyrioq́ ardentem murice cultum
Ferre dedit, circum candor quem byßinus ambit;
Et ſtatuit ſummo te ſecum in cardine rerum.
Vt velut alter Atlas ſuſtentes viribus orbem
Curarum ſocius grauium ſociusq́ laborum:
Aut ſi tartareus moueat fera bella tyrannus,
Puniceam tendens tunicam contraq́ Phalangas
Arma pares, ſtygiasq́ acies cœleſtibus armis
Frangas, ne trucium violentia ſæua ferarum
Innocuum lacerare gregem tentetué, queatué.
Manſuetam quamuis ducas in prælia gentem,
Agmen inerme, ouium trepidũ pecus atq́ quietum,
Dux tamen intrepidus nigri leo terror auerni
Ordine ſtans primo ſummoq́ in cardine certans

Turba-

Digitized by Google

Turbabisq́; hoſtem, totumq́; Acheronta fugabis.
Non ſecus ac ingens ceruorum territat agmen
Vnicus at fidus pecoris dux dentibus aſper,
Ore fremens, centum nec inaudax tendere contra.
Sume PHILIPPE, *tibi quæ mittit ab æthere Numen*
Signa beata, gregis numerũ modo bellua grandem
Mactauit; ſparſitq́; alium, qui deuius errat,
Quo tua propones paſtoris ſymbola, præſul;
Et precibus votisq́; tuis vitaq́; docebis,
Quam calcare viam iuuet, & quo tramite cœlum
Tentandum. grandis præeuntem turba ſequetur.

DE AMPLISSIMO S. R. E. CARDINALIVM ORDINE DIALOGVS INTER Eccleſiam Romanam & Boiaricam.

Eccl. V*NDE meo nouus hic cultꝰ nomẽq́; nepoti?*
Boia. *Hæc vnde fulget purpura?*
Murice Sidonio iuueni quis tempora cinxit,
Oſtroq́; corpus lucido?
Illuſtres ataui titulos geſſère, decusq́;
Regum, Ducumq́; & Cæſarum:
Aurea geſtarunt noſtri redimicula mitræ
Antiſtites ampliſſimi:

Hoc

Hoc iubar vnde micat? terráne, polóne profectũ?
Quod Numen illud attulit?
Nata, quid ancipites mordent tua pectora curæ?
Curæ mihi es quæ maximæ. Eccl. Rom.
Ne mirare nouos oſtri fulgentis amictus,
PHILIPPVS illis dignus eſt.
Priſcus honos hic eſt, quem cõdidit auctor honoris,
Altoq; cœlo detulit,
Cœleſtem quando legem vulgauit in orbem,
Nouam creans Rempublicam.
Rex orbis, magnusq; idem, æternusq; ſacerdos,
Et Summus orbis Pontifex,
Ipſe ſibi primùm comites ſociosq; laborum
Duodena legit lumina,
Illaq; terrarum cunctas diffudit in oras,
Vt pellerent caliginem.
Aſtrorum ſidus princeps his addidit aſtris,
Petrumq; dixit principem:
Septenosq; illis denos ſplendoribus ignes
Minora ſparſit ſidera,
Atq; plagas omnes mundi percurrere iuſſit,
Mundumq; nocte euoluere.
Hinc radÿ fulgorq; patrum, ſanctiq; ſenatus:
Hinc orbis illi cardines.

B *Ingens*

Digitized by Google

Ingens eſt rerum moles: vel maximus Atlas
Sub mole fractus concidat.
Pluribus hic humeris multisq; Atlantibus vſus,
Et plurimis Telamonibus.
Sic quondam Moſes legum ſanctiſsimus auctor,
Et thaumaturgus inclytus
Agmen Erythræis Phariũ poſtquam obruit vndis,
Caputq; merſit regium;
Caſtraq; lecta Deo tuta metatus in algam,
Adijt Sinái verticem;
Colloquioq; Dei dignatus iura recepit,
Auditor almi Numinis.
Quæ ſimul ad populi promptas vt detulit aures,
Creuère curæ pectoris.
Maxima nam ſemper cinxit ſubſellia turbam,
Liteſq; mille texuit.
Quas idem iudex, idemq; interpres, & idem
Quæſitor vnus criminum
Et ſcelerum vindex: nec tot componere cauſſas
Vnus valebat omnium.
Ergo ter atq; quater denos ex agmine toto
Contentionis arbitros,
Cuſtodeſq; æqui ſcripſit, legumq; patronos,
Curæq; partes dididit.

Quos

Quos Deus afflauit cæleſti mente, dedítq́;
Futura fata pandere,
Vt placuiſſe ſibi partitos eſſe labores
In plurimos, portenderet:
Et tamen vnius gentis dux ille, caputq́;
Legumq́; conditor extitit.
At tota mundi Pater hic ſub mole laborat,
Totius orbis arbiter,
Cur ſibi non plures certosq́; cooptet Achates,
Succumbat vt ne ponderi?
Vmbra fuit Moſes CHRISTI *Dominantis imago:*
Hic numinis partes agit.
Iure oneris parti ſuccedit clarior ordo,
Patriq́; primo proximus.
Hic aditus cœli cuſtos velut oſtia ſeruat,
Sunt hi oſtiorum cardines.
Cur toga quos quõdam vilis, nunc purpura veſtit, Eccl. Boia.
Et purpuratus pileus?
Obſcurus latuit ſine cultu dius Aaron, Eccl. Rom
Donec Pharum relinqueret.
Imperij Numen voluit cunabula ſummi
Extare contemptiſſima.
Quæ caſa Martigenã ſeruabat prima Quirinum,
Quando orbis arcem condidit?

Fumabat primùm tanta caligine tellus,
Vt lumen agrè admitteret.
At poſtquam toto nox cœlo nigra repulſa eſt,
Lampasq́ fulſit publica,
Perq́ orbem CHRISTVS *cœleſti in luce refulſit,*
Chriſtiq́ nomen claruit,
Tunc bifidam claro diſtinxit Iaſpide mitram
Maior minorq́ Pontifex.
Tunc educta polo creuêre palatia Diuis,
Et templa cœlis æmula;
Lipſana tunc, cineresq́ ſacros arca aurea clauſit
Rutilante gemmis pegmate.
Tunc Mauſoleis certabant laude ſepulchris
Cœleſtium ſacraria.
Tunc argumentum crucis in diademate Reges
Tulere CHRISTI *gloriam.*
Omnia tunc ardere auro, radiare ſmaragdo
Cœpêre tecta Cœlitum.
Tunc quoq́ qui primo ſteterant in cardine rerum,
Sumpſere claram purpuram.
Maieſtas decuit maiores maior honores
Ob nomen almi Numinis.
Purpureo crines velauit tegmine Myſtes
Ob nomen almi Numinis.

Candida

Candida tunc rutilos bibit vndiq; lana colores
Ob nomen almi Numinis.
Illius hic honor eſt, decus illius, illius omne,
Quod habent nitoris cardines.
Hic gerit ordo ſui ſacer almi inſignia Regis,
Qui riſus eſt in purpura:
Candidus in rutili velamine ſplendet amictus,
A rege quo Rex luſus eſt.
Purpureum fudit pro ſontibus ille cruorem;
Promptiq; ſunt hi fundere.
Quot fudère noui? quoties fudère priores?
Quot pertulere funera?
Hæc decora, has laudes Heroum purpura ſpectat
Et purpurata curia.
Hanc patrum veteres ſanctum dixere ſenatum
Eccleſiæ collegium;
Qui quondam ſummos Romæ geſſere Parœcos,
Sanctosq; Cleri principes:
Vnde trahunt Diuûm ſancti cognomina patres
Titulosq; Cardinalium.
Hi ſtipant cinguntq; latus Patris vrbis & orbis
Vrbisq; & orbis lumina:
Vni ſuccedunt omnes operæ atq; labori,
Orbemq; lege temperant.

 Ponti-

Digitized by Google

Pontifices priuas reliqui moderantur habenas;
Frænandus iſtis mundus eſt:
Illi ſeu proram, ſeu puppim, ſiue carinam
Verſant aguntq́; palmulis;
Hi claſſem totam fremebunda per æquora ducunt,
Clauumq́; tractant publicum.
Eccl. *Ingenti, veneranda parens, quid pondere natos*
Boia. *Premis meos & opprimis?*
Eccl. *Ingentes humeros vidi, mea nata,* PHILIPPI,
Rom. *Mundi ferant qui machinam.*
Ingentes illi cura meditabor honores
Honoribusq́; præmia.

ECCLESIÆ

ERVNT REGES NVTRITII TVI.

ESAIÆ 49.

INCONCVSSA, *ſtatu felix Eccleſia, vitam*
Funeribus reparans, & viuida ſanguine fuſo,
Morte refloreſcens, animans per vulnera mortem,
Innumeros ſecura ſui iam deſpicit hoſtes;
Armatam rabiem, fœcundaq́; pectora pœnis
Experta, & coniuratos contra aſtra tyrannos
Prouocat, vt promãt ferrũ, quod ſanguine fumet,

Vulne-

Vulneraq; alta bibat, quod conſpirante veneno
Impellat lethum: furias mucronibus armen:
Exundent tumidæ piceo de gurgite flammæ;
Beſtia viſceribus, ſitiat, ſatiata, cruorem;
Stentq; cruces, & eant radijs diſtricta rotarum,
Arctatis gyris, à ſe redeuntia membra;
Sulphureq; intextis facibus tunica illita flagret;
Tranſadigat medios emergens ſtipes ab ore;
Et quicquid truculenta mali commenta Tyrannis
Eructat, quicquid rabie crinita draconum
Hæreſis immugit, cùm quaſſo crine venena
Effundens totos colubrorum erexit hiatus.
Iſta ſui, ex alta victrix Eccleſia petra,
Tranquillis oculis videt inſtrumenta triumphi,
Quam licet illiſo Phlegethon circumtonet igne,
Omniaq; alterno confligant culmina lapſu
Ponderibus pronis in eam, tamen omnia vincet,
Obiectuq; ſuo feret inconcuſſa ruinas.
Gentibus ô nimiũ contempta Eccleſia quondam,
Ignota, exitio vel non niſi nota tuorum,
Cui dura eiectæ ſe ſe quoque terra negauit;
Et ſi quas exul ſubiſſes forte cauernas,
Vt Mortem effugeres, rabies arcana vibratas
Prodiderat latebras; nec defendère receſſus

Digitized by Google

Horridi inacceſſis tenebris, nec in æthera rupes
Culmine prærupto erectæ ſeruare valebant:
Ipſa tuis tandem damnis Eccleſia felix
Par ſuperis æquas durando viuida ſtellas:
Quæq; ſinus paulo ante tuos vndare tuorum
Sanguine natorum cernebas, lætior auctu
Innumeræ ſobolis fœcunda Morte triumphas:
Exultatq; frequens Martyr feſtinus in ortum.
Victuri cineres ex vno funere vitam
Mille tuis geminant natis, vt ſæpe renaſci
Optes exitio propriaq; augeſcere partum
Morte velis, breuibus redimẽdo doloribus æuum.
Quin etiam promiſſa tui non irrita ſponſi
Decreuêre tibi lætum tandem adfore tempus,
Quo Reges oſtri radiantes luce iacere
Ante tuos ſua ſceptra pedes, radiosq; docebunt,
Et tua inextincto ſuccenſi ardore ſalutis
Certabunt, quò quiſq; tua nutritius eſſe
Felicis ſobolis poſſit, gratusq́; ſacerdos.
Suſpice. Tempus adeſt, quo ſe tibi fata benigna
Affundunt, quo te ſponſus dignatur honore
Promiſſo, vt ſoboli præſint nutritij alendæ
Sponte tua Reges, & munera Præſulis vltro
Armipotens Princeps obeat, ſeq; altior ipſo

Fortu-

Fortunam exemplo doceat virtute domare.
Ecce PHILIPPVS *adeſt, poſſeſſus Numine multo*
Pectus, purpureo radiatum lumine pectus,
Regum progenies; & adeſt tibi Boiarus vnâ
Tergemina ſerie proauorum Regius ordo,
Cui ſeſe inuicto Deus ipſe in corde reliquit.
Ecce PHILIPPVS *adeſt, cui laudũ exordia pandunt*
Regna triumphata à proauis; ſi propria iungas,
Non habitura modũ meritorum encomia creſcent,
Huius conſilio viuo, virtutibus huius
Aſpicies pacem, quin feſſa reſurgere ſêcla:
Immo ſub hoc (firma præſagum, qui potes, omen)
Felicem ſeſe cernet Germania, vires
Contemplata ſuas, nunc ſparſa ac diſſona moles:
Quæ ſi, ô ſi, corpus vultumq; coiret in vnum,
Vt fuerat quondam paſtore beata ſub vno,
Iam nunc contraheret ſeſe Draco Turcicus, orbe
Excluſus, fugiens in vani nominis vmbram.

INAVGVRATIO SERENISSIMI
PHILIPPI CARDINALIS.

DIc Tarpææ Pater Capitoli immobile ſaxum,
Imperium vaſti qui Pater orbis habes.

C *Dicite*

Dicite Romani proceres, quos purpurat oſtrum,
Addita Romano fortia fulcra throno:
Curia luce nouâ meditans ornare cathedram,
In quem defixit lumina ſancta ducem?
Viderat inſignem caput orbis Roma PHILIPPVM,
Et iuuenis doctos hauſerat aure ſonos.
Effigiemq́ Ducis ſeruabat mente repoſtam,
Indolis & raras ſuſpiciebat opes.
Dignum conſilio ſocium dignumq́ ſenatu
Iuraſtis iuuenem: mox rata vota valent.
Mittitur extemplo qui clara inſignia portet
Purpuream vittam, purpureamq́ togam.
Boiariæ Dominam Monaci properatur ad vrbem,
Magne GVILHELME *tuã, caſta Renata tuam.*
Huc Tiberina ſuũ mittit Germana PHILIPPVM,
Purpureum capiti qui ferat inde decus.
Itur ad excelſam diuini Numinis ædem,
A Duce quæ ſuperûm Regia facta Duci.
Prodit & in medium rutilo decorandus amictu,
Ornatusq́ humeris inijciendus adeſt.
Ante vouet Princeps ſanctũ ſibi Patris honorem,
Pontificisq́ fidem iuraq́ ſancta fore:
Proq́ focis arisq́ ſacris, vitamq́ caputq́
Deuotum cælo ponere velle ſuum.

Hic

Hic ſacer orator cæleſti voce precatus;
Quod cælo gratum cælituumq́ patri,
Hanc cape purpuream generoſe PHILIPPE *tiaram,*
Quo ſibi deſpondet te Deus ipſe Deo.
Vt magnifias magnum Patris ornamentum,
Æternusq́ vrbis clarus & orbis honos;
Rebus præſidium dubijs certumq́ leuamen:
Aſtrææ vindex, dux gregis atque ſalus.
Immoto magnum ſuſtentans cardine mundum,
Ne cadat æternum lapſus in exitium.
Et tua ne cedat virtus tentata periclis,
Seu corpus flammis ſeu perimatur aquis:
Hoc plenus docet ille DEO*, cui ſaxeus imber,*
Dum peteret cælum, perpetiendus erat.
Hoc clamat, cuius ſtillantia membra bibebat,
Torrebatq́ rogi feruida flamma latus.
Ad tantum tibi miſſa decus te purpura ducet,
Cuius honor ſummus: par in honore labor.
Quæ terrere alios poterāt documenta, PHILIPPVM
Laudis ad immenſum plus acuêre decus.
Iamq́ ardens oſtro magis ardet amore ſalutis
Pro Domino promptus pro grege ferre necem.

VOTVM AD SS. PETRVM ET PAVLVM DIVOS TVTELARES ECCLEſiæ Ratisbonen. pro PHILIPPO Cardinale.

COELI indigetes, vrbis pars maxima noſtræ,
Orbisq; clara lumina,
Cernitis eductam magna arte & ſumptibus ædem,
Veſtro dicatam Nomini;
Ædem, vbi ſaxa notis perhibent inciſa vetuſtis
Fidei patritæ ſymbola;
Accipite orantum gemitus, pia vota precesq;,
Et ferte ad aures Numinis,
Vt redeat decor illi vrbi, pietasq́;, fidesq́;,
Quibus illa quondam floruit.
Antiquâ fidei veſtræ ſtatione reponat.
Ardens PHILIPPVS *purpura.*
Quaſſatam regat vſque RATEM *felicibus Euris,*
Saluusque PONTEM *tranſeat,*
Remigio tandem, veſtroq; hic Numine ductus
Tuto quieſcat littore.

Epigram-

Epigrammata & Emblemata,

AD EVNDEM SERENISSIMVM PRINCIPEM PHILIPPVM S. R. E. Cardinalem, &c.

S. VVOLFFGANGVS EPISCOPVS RATISBONENSIS.

AD PHILIPPVM CARDINALEM.

NVLLA priùs noſtram veſtiuit purpura ſedem,
Nec tantus noſtra ſplendor in æde fuit.
Quid tibi pro cultu Dux magne PHILIPPE reponam?
Quando meus tantùm creſcit & auget honos.
Teſtabor ſuperûm Patrem ſupplexq; precabor,
Illuſtret ſolium plùs vt in axe tuum.

OSTIVM VERTITVR IN CARdine, Prouerb. 26.

QVID portæ prodeſt gemino ſine cardine moles?
Vel patet vſque domus, clauſa vel vſque manet.
Claudere vel ſi quis rurſusq; recludere tentet,
Siue inferre pedem ſiue referre volens:
Exitus aut aditus non panditur abſque labore.
Namque fores nil quo circumagantur, habent.
Fallor, an in patribus, proprio quos nomine Cardo
Inſignit, mundi vertitur vna ſalus?
CARDINIBVS certe his Eccleſia tota mouetur;
His innixa eadem firma ſtat, inq; gradu.
Ac vt ab his motus proficiſcitur Vrbis & Orbis:
Sic & ab hiſce quies publica vtrique venit:

Digitized by Google

Anne PHILIPPE *igitur cernis, quo purpura fine,*
Auſoniæ à magno ſit tibi miſſa Patre?
Scilicet immoto ceu cardine machina fertur
Siue aperire iuuet, claudere ſiue iuuet:
Vtque ſuo alterius ſuſtentat pondere pondus
Cardo vt dum ruit hic, illa repente ruat:
Sic rem Chriſtiadûm nitique vbique PHILIPPE
Nunc debere tua dexteritate putes.
Sed tamen immota; nam ſi moueatur ad vlla
Flamina ventorum, iam quod es, eſſe nequis,
Cardinibus motis nil mirum ſingula labi
In peius, quæ ſunt ſub regione poli.
Ipſe polus rueret, caderent & ab æthere ſtellæ,
Si poſſet cœli cedere cardo duplex.

DOMINI ENIM SVNT CARDINES TERRÆ ET POSVIT SVPER EOS orbem. I. Reg. 2.

BENE, PHILIPPE, DEVS *mundi quoq; fundamentum,*
Firmumque fixis cardinem?
Ergone te ſaluo mundi quoque machina ſalua
Erit, & cadente concidet?
An velut ante diem mundi ſacra fulcra ſupremum
Verti quatique neſciunt:
Sic tua firmato non cedet pectore virtus,
Suprema dum lux occidat?

ERITIS

ERITIS MIHI IN REGNVM SACERDOTALE. EXOD. XIX.

*R*EGIA *miſſa tibi Princeps eſt cauſa Româ,*
Cauſa vel cæli venit ab arce tibi.
Regia condecorat generoſum purpura corpus,
Atque regit dextram regia virga manum.
Quis neget eſſe Ducem, quem dicit purpura Regem,
Imo Ducum ac Regum qui decus omne præit?
Et præit imperio mortalibus immortali:
Corpora opesq; illi; corda PHILIPPE *regis.*

PVRPVRA TAVRVM OFFENDIT.

ECCLESIA GERMANICA.

*A*SPICIS *Hæreticus quî iactet cornua taurus,*
Vtque mihi, vtque meis mugiat exitium.
Auxilio egregium ſubmiſit Boia Leonem,
Qui tauri eludit cornua, ſæpe ferit.
Taurum armat rabies, & iuſtior ira Leonem,
Nec ſpectat celeres iſte vel ille fugas.
Nunc tandem furit atque fugit cur prælia taurus?
Inter bella LEO BOIVS ERVBVIT.

GERMANIA.

*H*VC *chlamydem & rubrum cur mittit Roma Galerum?*
Quia hic fidem ſolam atque nudam algere ſcit.

BAVARIA.

*N*OSTRI *Pictores & certauêre Poëtæ,*
Te rectiùs qui pingerent, qui fingerent.
Nec mora; præcipuæ calet æmula factio laudis:
Fundunt colorem illi; Poëtæ nomina.

Nulla

Digitized by Google

Nulla ars ſuffecit Pictoribus atque Poëtis:
Nomina, coloresque exprimunt; morum nihil.
Te pictum & fictum non eſſe PHILIPPE, PHILIPPVM,
Verum eſt: ſed hi ni fallerent, quid fingerent?

IN HÆRETICOS.

F*VLGIDA nec Paulum, nec Petrum purpura texit,*
Ergo Sacerdotes non decet iſta nouos.
Hæreſis hæc vox eſt, ſtolidique inſania vulgi,
Cui ſacra ſunt riſus, relligioque ſales.
Si nihil eſt ſanctum niſi priſcum ô Hæreſis, illam
Quam rides priſcam prima reſume fidem.
Vis tamen & veſtis Tyriæ cognoſcere cauſam?
Ardentem flammam purpura rubra refert.
Fulgida nec Paulum nec Petrum purpura texit.
Quid mirum? nullus tunc fuit Hæreticus.
Tunc nemo fuerat culpam pœnamúe monendus:
Iam culpæ & pœnæ ſunt noua ſigna nouæ.

DE CVLTV CARDINALIS.

Q*VID hoc rei* PHILIPPE?
Miraculi quid hoc eſt?
Iam cerno candidatum:
Iam ſpecto purpuratum.
Quid veſtis ille candor,
Rubor quid ille ſignat?
Sunt ſigna ſancti amoris,
Et candidi pudoris:
Quod ima mens recondit,
Hoc prodit extra amictus.

LEO ZODIACVS AD BOIARICVM.

TE Notus & Boreas celebrant, & Caurus, & Eurus,
   Atque tuum toto nomen in orbe ſonant.
Me labor Alcidæ cœli ſuper aſtra locauit;
   Numinis extollet te ſuper aſtra fauor.
Feruidus æſtiuis me ſol ardoribus vrit;
   Te noua Clementis protegit vmbra Patris.
Me caper hyberno brumalis frigore vexat;
   Te tincta ardenti lana colore fouet.
Bis denis tantum ſeptemq́ effulgeo ſtellis;
   Sydereis facibus ſtirps tua mille nitet.
Mille ſupra vidi ſublimes aſtra petentes,
   Milleque de ſancta poſteritate petent.
Si mutare vices mecum placet, æthere cedam,
   Inque domum veniam lætus ab axe tuam.

RELIGIO TRIVMPHANS.

IN HOC VINCES.

INSOLITOS quæris cur ducam læta triumphos,
   Hactenus innumeris icta dolore malis?
Namque meus Boia prognatus ſtirpe PHILIPPVS,
   Proximus à ſummo iam ſedet ille gradu.
Hoc CHRISTI claro ſternet vincetque trophæo,
   Hæreſis inque fugam perfida caſtra dabit.
Surget auitus honos & priſtina ſecla redibunt,
   Stabit & immoto Relligio alma cubo.
Plaude Ratisbona vrbs antiquis condita ſeclis,
   Antiquam cernes hoc duce ſtare fidem.

IVSTITIA OCVLATA,
COR REGIS IN MANV DOMINI.
Prouerb. 2.

QVAM bene iuncta meæ ſum Virgo Aſtræa ſorori,
Et forma & cultu condecorata pari.
Me ſine nulla fides, neque mens eſt conſcia recti,
Me ſine legum vis orbe & in vrbe cadit.
Diſpicio immotis oculis, quod poſtulat æquum,
In manibusq́ue gero feruida corda Ducum.
Si quando à recto deflectunt ordine rerum,
Inſpiciunt vitæ ſymbola certa meæ.
Perpetuas tibi nos comites adiunge PHILIPPE,
Nominis hinc creſcet purpura clara tui.

COLLEGIVM RATISBONENSE
AD
SERENISSIMVM PHILIPPVM
PVRPVRATVM.

QVÆ feſtinatis Princeps tibi ſcripſimus horis,
Symbola ſint meritis qualiacunque tuis.
Tu memores has noſce notas: noſce indice charta,
Quanta ſit auxilij ſpes mihi facta tui.
Nonne velut puppis flabra inter luctor & vndas?
Tu potes has vndas frangere, flabra potes.
Et potes atque cupis: facit hæc præſagia vati,
Qui multus Tyrijs veſtibus ardet amor.

VOX

Digitized by Google

VOX POPVLI
AD
SERENISSIMVM PHILIPPVM
CARDINALEM.

VT rutilum vidit plebs te geſtare Galerum,
Et prope te Libycam peruigilare feram,
CHRISTE quid hoc? inquit: nobiſne Hieronymus aſtat?
Ah firma fauſtum hoc omen ab axe Deus.

PHILIPPVS EPISCOPVS.

Anagramma

OPVS PHILIPPE SVSPICE.

MAGNVM opus aggrederis; vis conſtet id arte magiſtra?
OPVS PHILIPPE SVSPICE.

POETA AD SERENISSIMVM
PRINCIPEM, &c.

VT primùm auditum eſt tranſmiſſum ex vrbe Galerum
Et laudem & titulos accumulaſſe tuos,
Mox calamus feruet, Phœbo mens iſta caleſcit,
Et laudem ac titulos vult memorare tuos.
Vltro vena fluit, fluit vltro Pegaſeus fons,
Inſinuat membris ſe liquor ille meis.
Sed nimio demum mens ebria & obruta Phœbo
Oblita eſt laudes atque tuos titulos:
Nec mirêre adeo; titulorum examina tanta
Obliuiſci etiam ſobria mens potuit.

Digitized by Google

IN SYMBOLVM
SERENISSIMI ET REVEREN-DISSIMI PHILIPPI.

Dominus illuminatio mea.

NI DEVS immenſo perfundas lumine pectus,
Nil potero terris cernere, nilque polo.
Ergo tuo mihi da clarum de lumine lumen:
Te potero terris cernere, teque polo.

Cum Licentia Superiorum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google